QUAEDAM CIRCA NERVI VAGI PATHOLOGIAM ANIMADVERSIONES...

Gabriel Taussig

QUAEDAM

CIRCA NERVI VAGI PATHOLOGIAM ANIMADVERSIONES

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE PATAVINA

proponit

GABRIEL FAUSSIG

Bohemus Budinensis

PATAVII

TYPIS CARTALLIER

M. DCCC. XXXVI

FRANCISCO AGLIETTI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI; EMERITO ANATOMIAE PROFESSORI; PUBLICAE SOCIETATIS MEDICINAE VENETIARUM INTIMO A CONSILIIS; IMP. R. MAGISTRATUS MARITIMAE SANITATIS PROTOJATRO; COMMISSIONI SANITATIS MEMBRO ADJUNCTO; IN SPECIALIBUS SCHOLIS CLINICAE MEDICAE PROFESSORI; CIVILIS NOSOCOMII DIRECTORI; C. R. ITALICI INSTITUTUS SCIENTIARUM, LITERARUM ET ARTIUM MEMBRO; I. R. ACADEMIAE PULCHERRIMARUM ARTIUM, VENETIQUE ATHENAEI MEMBRO HONORARIO, EJUSDEMQUE INTIMO A CONSILIIS; IMP. R. ACADEMIAE SCIENTIARUM ET BONARUM ARTIUM PATAVINAE SOCIO; ACADEMIARUM SCIENTIARUM ATQUE ARTIUM MANTUAE, SENARUM, HETRUSCAEQUE CORTONAE SOCIO; GOTTINGAE, TAURINI, AEMULATIONIS PARIS. SOCIETATIS CORRESPONDENTI; MEDICAE SOCIETATIS LIBURNENSIS MEMBRO; IMPERIALIS ACADEMIAE PETROPOLIS SOCIO EC. EC. EC.

440

VIRO

DOCTRINA PRAECLARO

ARTE PROBATISSIMO

HUMANITATE SUAVISSIMO

IN SINCERAE GRATITUDINIS SIGNUM

HAS CONSACRAT PAGELLAS

Humillimus auctor

PROOEMIUM

Uno Nevrosium nomine morbos valdopere inter se distinctos diu comprehenderunt Nosologi.

Plurimi vero dantur Nervorum morbi a se invicem diversi, imo non raro oppositi, quibus diversae quoque formae respondeant necesse est. Quamobrem Auctorum magnam in omni fere Nevrosium parte discrepantiam intelligimus.

Quum enim mutationes Nervorum mente potius comprehendi, quam cultro Anatomico detegi possint, eo perventum erat, ut adcuratiores in Nevrosium naturam inquisitiones pro phan-

tasiae exuberantis ludibriis haberentur, quod non parum perfectioris systematis nervosi doctrinae obstitit, dum totius systematis adfectioni commode attribueretur quod revera singuli cuidam sphaerae, vel uni plane alterive ramo adscribi debuisset. Magnum tamen quod Medicina universa, recentiori aevo, coepit incrementum in nervorum functiones cognoscendas, eorumque morbos illustrandos non parvum exseruit influxum, quo Anatomia Pathologica suam praecipue symbolam contribuit; cujus progressus circa Encephalon maximi, multo minores quoad spinalem medullam, et minimi hucusque quoad nervos singulos, quorum tamen Pathologia magni est momenti, et eo quidem magis quo nobiliora sunt organa, quorum functionibus praesident. Maxima hoc intui-

tu est dignitas nervi Vagi, de cujus aegritudine aliquid innuere conabor, prouti ingenii summa penuria, temporis rerumque angustia permittent, spe non destitutus fore, ut aliquis majori pollens facultate opus sit elaboraturus, cujus nonnisi aliquas exhibere delineationes mihi, conceditur.

446

NERVI VAGI DIGNITAS.

Arcti dissertationis limites Anatomicam Pneumogastrici nervi praemittere descriptionem (1) non concedunt, nec ejus rite perlustrare significationem. Paucis tantummodo commemorabo, quid ab experimentis circa ejus actionem institutis depromere liceat. Organa in quae praecipuos ramos distribuit sunt quidem sequentia: pars cervicalis nervos pharyngi et laryngi, pars thoracica nervos cardiacos, recurrentes, plexus pulmonales anteriores posteriores et plexus aesophageos suppeditat; pars abdominalis ad ventriculum praecipue sed ad nonnulla alia quoque abdominis viscera

(1) Vicq-d'Azyer. Tav. 17, 18. Neubauer, descriptio nervor. cardiac. Andersch, comment. Götting. Caldani, Tomo II. et Tab.

Scarpa. Tabulae Nevrologicae ad illustrandam historiam Anatomicam cardiacorum nervorum etc. Ticini.

4 4 8

diramatur. Ex simplici hac distributione autem in nervi Vagi functionem concludere eo minus licet, quum omnia fere vix enunerata organa a magno Sympathico ramos simul habeant, et non facile sane argumentari possimus, quid uni quid alteri debeatur. Desunt insuper circa Sympathicum nervum adcuratiora experimenta, quamobrem eo majoris pretii habenda quae de Vago instituta sunt.

Certiores quoad Vocem sumus, ad quam edendam Vagus solus contribuit ramo suo laryngeo superiori et recurrente. Laeso uno nervo recurrente vox non perditur dicit Arnemann. (1) Sectis ambobus vox perit, id quod ipse Galenus jam pronunciavit. An recurrens soli musculo crico-arytenoideo posteriori et laterali, nec non musculo thyreo-arytenoideo pertineat, dum alii a laryngeo ramos accipiunt, uti Magendie (2) contendit, an ambo nervi indistincte in illos musculos distribuantur uti Rudolphi (3) cum veteribus asserit, non inquirimus, etsi experimenta quae Krimer (4)

(1) Versuche über die Reproduction der Nerven.

(2) Memoire sur l' epiglotte.

(3) Physiologie 2, 1.

(4) Physiolog. Untersuch. 3te Abth. Verf. 3.

instituit pro opinione Celeberr. Magendie stare videantur. Lacessito enim recurrente vox acutior evasit, laeso nervo laryngeo vox rauca et profunda audiebatur. Ita quoque sectio nervorum recurrentium periculum suffocationis inducit quum larynx clauditur, ligatis e contra nervis laryngeis rima Glottidis dilatatur.

Secta Medulla oblongata supra Vagi originem omnia respirationis phaenomena continuant, quod si in medullae sectione descendendo ulterius pergatur, respiratio irregularis fit et plane cessat ubi locum attingimus, ex quo Vagus suam ducit originem. Ex eo intelligimus, quomodo Acephali aliquod temporis spatium vivere possint, quod absque respirationis processu in homine fieri nequit, et magnam simul intelligimus hujus Nervi in respirationem efficientiam. An vero chemicus respirationis processus, an mechanica ejus pars ab eo pendeat, licet innumera capta sint, a Galeno usque ad nostra tempora, experimenta, (1) cum certitudine dijudicare non valemus. An, et quantum Vagus nervus in cordis motum et in circulationem influat, dissentiunt

(1) Vide Dumas, Dupuytren, Legallois, Wilson Philipp.

inter se Physiologi. Willis et Lovves sectione Vagi mortem induci arbitrantur; experimentis autem recentiorum uti Bichat, Emmert, Legallovis mors aliis causis adscribenda, in corde ipso autem motus solummodo inordinatos producit. Imo recentiores diu de praesentia nervorum in cordis substantia dubitarunt, Berends eam plane denegavit.

Scarpae quidem laboribus edocti nervos in cordis substantiam non minus quam in alio quodam musculo distributos esse scimus; tamen quae vera Vagi in cor sit actio clare hucusque non patet; imo si experimentis Brachet fidem tribuimus, omnis in cordis motum influxus nervo sympathico debetur, cujus gangliis cervicalibus destructis cor immobilis collabitur. Forsitan Vagi officium in eo consistit ut cor cum nervis systematis sensiferi connectatur, quo fiat ut nobilissimum hoc viscus non solo vitae organicae influxu regatur. Nonne voluntatis in respirationem, imo et in pulsum influxus exinde intelligi potest, quem individua nonnulla mobiliori systemate nervoso instructa exercent? Magis secura ea sunt experimenta quae de Vagi in ventriculi actione exstant. Willis, Baglivi, Valsalva et Hallerus turbas jam descripse-

re, quas Vagi sectio in digestionis organis inducit; post eos plurima hac de re repetita fuerent examina; at brevitatis gratia eorum tantummodo quae a Wilson Philipp et Broughton instituta sunt mentionem faciam, quippe effectus e diametro sibi oppositos observarunt. Dum enim primus nutrimenta assumpta plane immutata in ventriculo invenisse adfirmat, alter contrarium asseruit. Quamobrem Wilson Philipp et Brodie (1) conjunctim experimenta iterabunt, quae docuerunt digestionem ibi procedere ubi fines nervorum sub experimento a se invicem parum vel plane non amoventur (recordor Railii atmosphaerae nervosae), nullam vero locum habere digestionem, ubi rite separantur. Et revera si fines nervorum electricitatis conductoribus uniuntur, tunc digestio iterum procedit. Utrum nervorum actio in digestione chemicum processum et succi gastrici secretionem promoveat, an mechanicum ventriculi motum inducat, dijudicare non possumus. Sunt enim experimenta quae tam pro una quam pro altera opinione dimicant. Qui Vagum in ventriculi motum mechanicum agere contendit, hoc eo confirmatum arbitratur, quod irritata

(1) Philosophical Transaction. 1822.

illa parte Vagi quae ventriculo adhuc adhaeret, digestio procedat; qui e contra dynamico-chemicam ejus actionem vindicat, hoc eo demonstratum putat, cum Arsenicum quod in ventriculo sano magnam muci secretionem promovet, secto Vago mortem quidem, nullam autem secretionem inducat. An non in mechanicam et dynamico-chemicam simul ventriculi actionem Vagus exercet efficientiam?

Non parvi denique in hujus nervi actione momenti esse videtur modus, quo cum aliis nervis nectitur. Videmus enim partem cervicalem etsi Sympathico sit maxime vicina, tamen cum ipso non conjungi sed cum nervis cerebralibus, hypoglosso, glossopharyngeo, accessorio et partibus quoque prospicere voluntate gubernandis, tales enim sunt larynx, pharynx etc. Ad cor deinde jam antequam cavitatem thoracis attingat ramos mittit. (*Vide supra*)

Considerari itaque Vagus posset, qua mediator cerebrale inter et gangliare systema, cujus pars superior vocem, pulmones et cor ad sensitivam approximare sphaeram tendit. (1) Pars e

(1) Confirmatur talis observatio Anatomia comparativa, quo inferior enim classis, eo citius Vagus intime cum

contra abdominalis maxime cum gangliari conjungitur, ita ut in ipsis dissolvatur. Maxima vero ejus expansio circa ventriculum, inde summa ejus sensibilitas summusque cum cerebro consensus.

DE VAGI ADFECTIONIBUS MORBOSIS

Quaelibet Nervi adfectio vel ejus vitalitatem alienatam supponit, quin saltem organica quaedam laesio sensibus percipiatur, vel ipsam nervi structuram quodammodo mutatam supponere et in cadavere indigitare possumus. Ad prioris speciei adfectiones sensibilitas laesa pertinet, cum vel absque simultanea motus laesione. Prouti diversa Vagi pars sensibilitate laborat excedente, imminuta, vel depravata diversa prodeunt phaenomena. Ita observante Portal sensibilitate nervorum laryngis adaucta sonos acutos, imminuta contrarios inducit. Novi egregiam Matronam aphonia laborantem, cui vox normalis erat quoties curru vehebatur. Electricitas optimum exseruit effectum.

sympathico jungitur, ita ut in nonnullis plane ejus vices gerat; ex. grat. in Moluscis Cephalopodis, in quibus sympathicus affatim a Vago substituitur.

In nonnullis catarrhi speciebus luculentissimum habemus exemplar auctae sensibilitatis partis Vagi pulmonalis. Unde Narcoticorum in tussim mitigandam actionem intelligimus. Animi pathemata saepissime Cardiopalmum inducere neminem Medicinae cultorem fugiet, imo quisque erit in se ipso expertus. Optime vero diversarum nervi Vagi a norma aberrationum exempla in ejus parte ventriculo prospiciente cernimus. Famis enim sensatio a Vago summopere pendet, quo reciso perit. Nonne ergo fames morbosa excedentem, certae adpetitus prostrationis species deficientem, malacia, pica depravatam indicant Vagi sensibilitatem, vel ut melius dicam sensibilitatem ventriculo a Vago impertitam (1).

Perturbatam sensibilitatem, causae respectu, idiopathicam symptomaticam et sympathicam dari opinor.

Idiopathica ex. gr. ex Narcoticorum usu. Scimus, Opium denudato nervo adplicitum, ejus imminuere sensibilitatem.

(1) Quantum autem in curam rite dirigendam sensibilitatis modum, et gradum, horumque deviationum causam respicere oporteat, nonnisi illi non intelligent qui

Symptomatica ex quadam organi, cui Vagus prospicit vel Sensorii communis adfectione; hic forsitan gangraena pulmonum in dementum frequentia referenda. Sympathica ex remotae partis passione cum qua peculiarem fovet relationem, consensum dictam; Vagus luculenta sympathiae specimina offert: pressio strumae, narrante Soemmerring, causa fuit concoctionis difficilis, titillatae fauces vomitum, vomitus constrictionem faucium provocat, verminatio nonnunquam aphoniam. Sunt morbi viscerum abdominalium non pauci cardiopalmo stipati et facile Medicum fallentes, qui in nervi Vagi connexione veram repetit fontem.

Vox ita dicta Cholerica ex plexus solaris vel ex medullae spinalis adfectione? —

Globus hystericus Portal et Sachs nihil aliud est quam consensualis nervi Vagi adfectio a vaporum in ventriculo accumulatione (1), cui ta-

ex. gr. in omni ita dicta nervosa adfectione medicamina ita dicta nervina commode et indistincte adhibent.

(1) Morgagni et Lieutaud rara referunt talis accumulati vaporis exempla, quae hydropem et ipsam graviditatem simulaverunt. Frank casum vidit, ubi ventriculus ad pubem usque protrahebatur, quod phaenomenon tamen

4.50

men opinioni non consentirem quum vaporum in ventriculo extricatio et in viris hypochondriacis imprimis saepissime obveniat, quod ructus inanes comprobant, quin tamen globi sensationem secumferat.

Asthma potius humorale a Willisio descriptum, quod cum magna materiei mucosae colluvie in ventriculo procedit, in consensuali nervorum pulmonalium cum illis ventriculi cum Celeberr. Portal haberem. Sicuti vero consensus in genere non ex solo nervorum inter se nexu, sed et ex analogia structurae et functionum partium quibus praesident, ex simultanea organorum evolutione vel morbosa adfectione, imo etiam, monente Soemmerring, ex nervorum cum cerebro nexu explicandus sit, idem de Vagi consensu valebit, ita vomitus, audita narratione foeda. Ast taceamus de consensus legibus densis adhuc tenebris offuscatis.

Alteram adfectionis speciem nervus Pneumogastricus cum morbis aliarum organismi partium communem habet, nam et in illo, ut in quolibet

Vago attribuendum non puto, cum vapores et in partibus a ventriculo remotis extricentur, ut in ipsa vescica et utero (uterus garulus Martialis).

alio textu, organica immutatio suspici et cultro anatomico detegi potest.

Primum hic locum inflammatio obtinet. Dari revera nervorum inflammationes extra dubii aleam positum esse censemus (1). An autem inflammatio in nervis eumdem ac in aliis organismi textubus gradum attingat, an in solis symphoreseos limitibus versetur, an alterationes in nervis observandae verae praegressae inflammationi debeantur, utrum nevrilema solum, an ipsa nervorum pulpa patiatur (2), an tandem simpliciter inflammatio, vel sit inflammatio sensibilis ex mente Celeberr. Sachs dicenda (3), haec et talia

(1) Sarebbe a desiderarsi, dice il Bellingeri, che più sovente nel tifo e febbre nervosa si fosse esaminato lo stato del cervello, della midolla spinale, e del nervo intercostale: quante febbri che in realtà sono nervose di sede . . . . . si troverebbero dipendere da occulte infiammazioni dell' encefalo e del midollo spinale o da oscure nevritidi ! . . . . Omodei. Fasc. 126. p. 496.

(2) Reil in cadavere ex Thypo emortui nervos valde rubentes et eorum pulpam flavam observasse refert; ab initio morbi dolores nervosae indolis summopere vexabant.

(3) L. W. Sachs Handbuch des nutürlichen Systems d. pract. Medizin. T. 1. p. 1. pag. 280.

inquirere nec debiles humeri, nec rerum circumstantiae suadent.

Nobis monuisse sufficiat dari nervi Vagi statum morbosum, quem primus omnium Sachs inflammationis sensibilis Vagi nomine insignivit, et multa sagacitate descripsit. Plures ille in hujus aegritudinis sphaeram retulit morbos, alias pro adfectionibus organorum quibus Vagus prospicit habitos. Hic vero symptomata pathognomonica eorum nonnisi morborum imaginum referam, quae ab hypothesibus alienae, sincerae observationi superstructae videntur, et quorum in Clinica Pragensi ipsi mihi quaedam exempla observandi fuit occasio.

Majoris claritatis gratia inflammatio Vagi in tres dividi posse partes puto, etsi in rerum natura promiscue obveniant, prouti inflammatio nunc majorem nunc minorem Vagi partem plectat, nunc continuitatis leges sequatur, nunc vero ad partes remotiores prosiliat, partes intermedias incolumes relinquens. Et pro stadii diversitate diversa inflammationis extensio et diversa prodeant phaenomena in morbo adeo recenter descripto vix determinanda.

Inflammatio partis cervicalis incipit cum pon-

deris sensatione in parte occipitali, et cervicis tensione, sub capitis motu vertigo, accedit deglutitionis fluidorum imprimis, difficultas, in faucibus minima vel plane nulla inflammationis vestigia. Vox rauca dissonans, loquela ipsa impedita, dysphoria universalis, cordis pulsusque motus inordinati.

Ex his symptomatibus revera non arduum est colligere, partem cervicalem in omni sua diramatione sedem esse adfectionis. Quid enim aliud deglutitio et loquela impedita cum intermissione, quin fauces minime tumeant, dicere sibi velit? Levis enim rubor in faucibus detegendus, horum phaenomenorum rationem reddere impar, statui inflammatorio nervorum in faucicibus magna quantitate distributorum convenit, ex vasis nervos comitantibus ac ex capillaribus circumjacentibus explicandus (1). Tensio et dolor in occipitis regione Vagi origini et nexui cum

(1) Talis rubor levis saepius Observatores fefellisse videtur, dum pro verae inflammationis praegressae effectu haberent, quod nonnisi nervorum hujus partis inflammationi debetur, uti faucium et ventriculi rubor imo pericardii et cordis ipsius in hydrophobia, de qua serius.

accessorio et cervicali primo debere videtur, exinde vertigo et obnubilatio comprehenduntur.

Casum huic imagini valde similem in Instituto Clinico Pragensi 1834 vidimus, curante D. Lessanovsky nunc Medicinae Doctore. Eo solum differebat quod dolores per omnem decursum partis Vagi cervicalis aderant omnem attactum reformidantes, cum simultaneis musculorum faciei contorsionibus ex ultimo ramo Trigemini in consensum tracto facile explicandis. Dolor faucium et deglutitionis difficultas adeo eminebant ut antequam Clinico examini subjiceretur pro Angina faucium habita fuisset.

Inflammatio partis Vagi thoracicae, vel nunc descripta procedente, obvenit, vel ipsa scenam inchoat et pro diversa symptomatum congerie Pleuritidem, Pneumoniam imo et Carditidem mentitur.

Dolor pleuriticus intermittens cum respiratione difficili, oppressio pectoris, pulsus parvi tensi: haec absque febri decurrunt, quod jam sufficeret ut morbus a Pneumonia distinguatur. Eo magis adhuc a vera Pneumonia illum differre videmus (1)

(1) Dolendum quod celeberr. Sachs Stethoscopicas explorationes, quas immerito parvi existimare videtur, non

tussim et sputa considerantes, nec non aphoniam qua nonnunquam stipatur (1). Est enim tussis frequens et non dolorifica cum sputis largis tenuibus, filiformibus, quae statum aegri minime sublevant (2). Physiognomia talibus aegris similis est illae hominis stupidi et adflicti. Accedunt anxietas, cardiogmus, inquietudo, crescit dysphagia, imo hydrophobiae symptomata evolvuntur. Pulsuum summa varietas, calor normalis apyrexia. Statum huic analogum in Instituto Clinico supradicto, curante Doct. Torsch, vidimus, ubi inflammatio Vagi secundaria ex Myelitide declarata fuerat, nulla tamen observabantur sputa. Memoratu dignissima discordantia observabatur pulsum inter et respirationem; dum enim pulsuum ictus triginta solum intra minuti spatium numerabantur, respirationem summopere

instituerit; equidem ex Stethoscopii auctoritate sola veram Vagi inflammationem evincendam putarem.

(1) P. Frank casus analogos refert et inter catarrhos collocat, ipse autem inter symptomata aphoniam imo alaliam enumerat!

(2) Recordor Arsenici in ventriculum actionem supraindicatam: diximus enim Arsenicum (quod certe stimulando in ventriculi nervos agit) magnam muci secretionem ibidem provocare.

citatam animadvertimus. Ad hydrophobiae evolutionis gradum non pervenit. His symptomatibus persistentibus inflammatio Vagi abdominalis manifestatur dolore in regione ventriculi imprimis ad cardiam, adest vomitus omni tussi excitandus, accedunt sub hoc statu deliria, cutis temperatura et pulsuum conditio summopere variant, ita ut calor urens et sudores frigidi mutuo se excipiant, inquietudo summa, animi deliquia et mors.

Hae morborum imagines ob peculiarem symptomatum indolem, et diramationem nervorum qnam manifeste sequuntur, ab aliis morbis analogis dum in Vagum attendimus (modo plura ex dictis simul adsint) distinguere non arduum erit; si vero ventriculo prospiciens Vagi pars sola adficeretur, tunc sane Gastritis facile excludi non posset, quum huicce statui et febris et calor adauctus imo mordax accedat, ex maximo et intimo hic loci Vagi cum systemate gangliari nexu, quod incitationi vasorum praeesse, nemo ignorat: exinde febris absentia in partis Vagi thoracicae et cervicalis inflammatione sponte explicatur. Ex aliis processubus morbosis, quos Prof. Sachs ad Vagi inflammationem refert Hydropho-

biam solam commemorabo. Pauca enim sunt Medicinae argumenta, quae Medicorum omnis aevi attentionem in se dirigendo, opiniones tantas ac inter se discrepantes protulerint.

Quarum ut de absurdis taceamus, aliquas saltem adducemus, ita nonnulli hydrophobiae essentiam in Oesophagi, Ventriculi et Tubi intestinalis inflammatione reposuere, alii nil plane detegisse confitentur, alii congestiones ad cerebrum et pulmones invenisse asserunt. Kreysig (1) hydrophobiam pro carditide declarat. Rust nervos partium affectarum justo duriores reperisse testatur, quod et magnus Morgagni adnotavit. Autenrieth de inflammatis nervis in cadaveribus hydrophobia emortuis loquitur (2). Berends syste-

(1) Ipse Kreysig autem proprium, de carditidis qua hydrophobiae essentiam, dubium his verbis manifestat: aegroti de dolore non adeo thoracis quam ventriculi, vel in regione supra et infrascapulari conqueruntur, vel morbus febris mitis cum aliqua thoracis affectione videtur, cui tamen quid peculiaris subesse attento proditur Medico. Phaenomena carditidi minime convenientia, Vagi autem inflammatione optime explicanda.

(2) In praeclara dissertatione, de hactenus praetervisa nervorum lustratione in sectionibus hydrophoborum.

matis nervosi affectionem sui generis et gangliaris in specie supponit. Raimann nervi recurrentis Willisii et gangliorum cervicalium inflammationem suspicatur. Sachs Hydrophobiam, qua nervi Vagi inflammationem, declarantem veritati proxime accessisse censeo.

Quisquis enim Hydrophobiae symptomata attento animo consideraverit, ea in organis ad Vagi sphaeram spectantibus obvenire et cum symptomatibus quae in hujus Nervi inflammatione enumeravimus collimari intelliget. Et revera Hydrophobia ipsa qua symptoma pathognomonicum, ex quo totus morbus nomen coepit et in aliis morbis nervosis obvenire videmus (1) ut in hystericis, verminatione laborantibus, imo in ipsa graviditate; hydrophobia ergo qua nervosa adfe-

(1) Egregius Klug in sua dissertatione inaugurali Pragae 1831. pag. 68. Febris nervosae historiam refert, in cujus decursu inflammatio nervi Vagi cum hydrophobia accessit . . . . . . Septima morbi die, aeger de obnubilatione capitis, summa anxietate et inquietudine conquerebatur cum magna respirii difficultate. A regione ventriculi dolor exoriebatur per thoracem sese usque ad cervicem protendens . . . . . Die decimasexta nox valde inquieta, deliria continua, subsultus tendinum, ad spas-

ctio consideranda. In quo autem residet nervo? Nonne in Vago qui solus illis partibus praesidet? Anxietas, dein respiratio citata, cordis pulsatio, cardialgia, imo dolor a ventriculo ascendens (1) nonne pro irritatione saltem nervi loquuntur omnibus his partibus simul prospicientis? Quibus si addas omnia haec intermittere, et in cadaverum sectione nil, vel nil saltem constantis offerre (Vagus enim, quod dolendum, raro inquirebatur), imo inter pauca rite hucusque instituta cadaverum examina vera inflammationis Vagi signa comperta fuisse, Celeberr. Sachsopinioni subscribere non haesitabis.

mum pharyngis thoracisque hodie hydrophobia accessit. ..... Cura multa circumspectione et sagacitate in Vagi inflammationem directa, larga praecipue hirudinum applicatione et aquae frigidae affusione, nec non apto medicaminum selectu die vigesima septima sanus demittebatur.

(1) Soemmerring de corporis humani fabrica Tom. 4. Phaenomena consensus gulam ventriculum inter et musculum cucullarem e nervo ad Vagum accessorio intelligitur, cur in aquae metu porrecta potione scapulae superiora et posteriora versus convellantur, aegerque visa potione queratur de distentione quae a ventriculi scrobiculo incipiat, gulam pharyngem atque laryngem corri-

Ita Medicus Liverpoolensis Doct. Brandreth (1), quin ipse Vagum qua hydrophobiae sedem suspicetur, aptissimam pro argumento nostro sectionis historiam suppeditavit, de qua brevitatis causa nonnisi ad rem nostram maxime spectantia referam.... Theca vertebralis valde injectata, pauca seri quantitas sub medullae involucro. Par Vagum ruborem inflammatorium manifestavit. Nevrilema sanguine injectum, parvi vasorum surculi in eadem directione cum nervorum fibrillis decurrentes in circumvicinum textum cellularem penetrabant.... Nervi cutanei ex morsu procedentes eumdem praeseferebant colorem. Nervi vero brachiales sani (quod cum Cel. Raimann (2) observatione de virus hydrophobici propagationis modo concordat). Fauces, oesophagus, larynx, trachea, pleura, ventriculi interna membrana, imprimis ad cardiam, inflammationis vestigia

piat, tamen non sine impetu et praeter hominis voluntatem scapulas sursum atque retrorsum versus urgeat; e quibus summus ille in Medicina vir in hydrophobia Vagum affectum existimare videtur.

(1) Med. Chirurg. Zeitung. Jahrgang 1826. Band, 1. Nr. 9. S. 129.

(2) Manuale di Medicina pratica. T. II.

praeseferebant (de quibus quid sentiendum supra jam monuimus).

In sectione cadaveris ex eodem morbo non dissimilem historiam huicce descriptae Prof. Lipsiensis Clarus (1) refert.... Nervus Vagus eo loco ubi rami laryngei secedunt rubescit, in toto vero decursu laryngei et recurrentes tensi et justo rotundiores cernuntur; ita quoque alii nervi e medulla oblungata orientes; accessorius Willisii, hypoglossus, glossopharyngeus.

Esset mihi revera animus inquirere quousque Asthma sic dictum Millari, tussis convulsiva infantum, et Incubus a nervi Vagi affectione pendeant, ad finem vero libelli properans de paucis solummodo aliis Vagi organicis alterationibus mentionem faciam.

Tumorem Vagi qua Epilepsiae causam refert Cappel; (2) Volpi de Vago duplici narrat. Descot ex contusione nervorum pneumo-gastricorum tremorem universalem, respirandi difficultatem, vomitum, pulsum intermittentem observasse, et in

(1) Der Krampf in Pathologischer und Therapeutischer Hinsicht.

(2) Dissertatio. Helmst. 1781.

cadavere pulmones crepitantes invenisse retulit. De Nervi Vagi continuitatis laesionis effectibus, in relatis supra vivi sectionibus exempla sat luculenta exstant. Caeterum non est quod dubitemus quin communes Nevritidis exitus et in Vagi substantia locum habere possint, quales sunt seri in nervi vagina effusio, adhaesiones, emollitio, indurationes, parectama et similia, licet enim adcuratiorum sectionum parcitas omnia ea hucusque demonstrare non potuisset, tamen ipsa analogia in ea concludere nil vetat.

THESES DEFENDENDAE

I.

Multa hucusque circa arteriarium fines venarumque initia latent.

II.

Cholopoesis nec sola nec praecipua Hepatis functio.

III.

Convulsiones infantum vix non semper secundariae.

IV.

Haemorrhoidum fluxus statum quidem morbosum, relative autem saepe salutarem, sistit.

V.

Inflammationis intestini Ilei vestigia, quae in sectione cadaverum febri nervosa peremptorum reperiuntur, pro symptomatum nervosorum causa habere erroneum est.

VI.

Ubi res in Medicina melius intellexerimus, de earum nominibus adeo non contendemus.

VII.

Nulla Medicinae pars obscurior quam verae medicaminum virtutis cognitio.

VIII.

Nullum Medicinae systema nec penitus amplectendum, nec absolute spernendum.

IX.

Quas venae sectiones non curassent Pneumonias, magnae jam Tartari Stibiati doses sanavere.

X.

Apta, pro Asphycticis in vitam revocandis, instituta summae nobis sunt necessitatis.

XI.

Vigiliae multum protractae uberrimus Nevrosium fons, nec valet somnus de die captus noctis resarcire quietem.

XII.

Immerito Stethoscopii usus a multis negligitur.